Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2325
Quelle:
Copyright:

nonistarum. De Matrimonio. Accedunt *Proposita A. R. Episcopi* (Aciensis Benedicti) *de Nobilibus* de Dissolubilitate Matrimonii cum eorum Solutione. Atque ita, ne singulis immorer, sequuntur *Sententiae Bononiae* dictae circa Simoniam, Abusus in Sacramentorum Tractatione &c. usque ad diem XXVIII. *Febr.* MDXLVIII.

Fol. 128. *Meditatio circa Cesaris protestationem.* Eam nempe, qua *Carolus* Concilium *Tridento* reddi postulabat. Acris *Seripandi* Oratio in Consiliarios, ut fieri solet, Principis, quae infit: *Vellem hac de re, de qua mihi hodie dicendum est, dicere quidem, sed audiente Carolo Cesare Imperatore inuictissimo Rege Catholico, et quantum hactenus ex eius gestis iudicare possumus, ueritatis amico, atque hæreticorum hoste acerrimo.* Meminit Orator Concionum suarum coram *Carolo* olim habitarum *Neapoli.*

Fol. 138. *Gasparis Card. Contareni de Justificatione Epistola.* Extat in *Opp.* ejus *Paris.* 1571. f. editis; sed nobis adduntur Observationes quaedam, atque has inter *Annotatio Card. Regin. Poli.* Abest item ab Editis Principium Epistolae, quod incipit: *Accepi literas tuas, quę mihi fuerunt gratissimę* &c. et ad lineas 13. excurrit.

Fol. 153. *Fratris Christophori Patauini O. Erem. S. Aug. Procuratoris Materia de Justificatione.* Sententiam rogatus a Concilio V. eam Quaesitis exponit. Fuit is *Seripandi* in Prioratu gen. Ordinis Successor a. 1551.

Fol. 160. p. 2. De Formula *Interim* Sequentia: *Judicium per F. H.* id est *Seripandum. Correctiones per Cęsareos, priusquam publicaretur. Philippi Melanchonis Judicium ad Mauritium Ducem. Responsio Electorum. Principum et Statuum. Cardinalis* (Joh.) *Bellay.*

Fol. 177. titulo *Quaestionum Synodalium* prolixa Disputatio de Potestate Concilii et Papae, auspicium sumens a Decreto Conc. *Constant. Sess.* IV. quod primum defenditur, deinde in favorem Papae impugnatur. Autor tacetur.

Fol. 211. *Acta Concilij Tridentini sub Julio III. MDLI. Sess. III.* Decreta videlicet et Canones de Eucharistia et Reformatione, ut *Collect. Concill. Labb.* edit. *Venet.* T. XX. *col.* 80.

Fol. 221 *Decreta Publicata in Sess. IV.* Nempe de Poenitentia et extrema Unctione, ut T. *cit. col.* 91. In his et praecedentibus, quae in Editis *Reformationis Capita* vocantur, in Codice *Canones* audiunt.

Fol. 238. *Summa Decretorum Concilii Tridentini sub Paulo* III. ab a. 1545. ad a. 1547. Enumeratio Pertinentium ad Reformationem, quae per Concilium terminata sunt. *Salvus Conductus* datus Protestantibus. XXV. *Jan.* 1552. ut T. *cit. col.* 108.

Fol. 243. *Articuli secundi di Riforma decretati da N. S. portati da Mons. di Lanciano.* Fuit is